

## R. P. Franciscus Mezírka (1881–1931)

(*Prov. Prag.*)

P. Franciscus Ser. Mezírka, 16 Sept. 1881 natus, in familia sincere christiana educatus est; nam eius avunculus etiam Congregationi nostrae nomen dedit duaeque amitae habitum S. Ursulae susceperunt. Puer libenter ad altare ministrabat domique functiones sacerdotales imitabatur; sed etiam ludicra a Francisco nostro patrata narrantur. A R. D. capellano Skalík ad studia praeparatus, iuvenatum Katzelsdorfiensem in Austria Inferiori situm petiit. Ibi tam bene sermonem Germanicum didicit, ut eum sicut sermonem patrium calleret. Atque ultimo iuvenatus tempore cum suis conlegis in studium sermonis Germanici aevi medii magno cum fervore incubuit; quo tempore post s. communionem carmen perbellum cuiusdam poëtae medii aevi *Ich bin dîn*... se recitasse fassus est. Et fervidi iuvenistae, P. Directore non prohibente, post examen quoque vespertinum studia colentes, versu Latino *Septem horas dormire satis iuvenique senique* seipsos cohortabantur. Ceterum iuvenatus, cum P. Director iuvenem nostrum nequaquam ut puerum delicatum tractaret, schola vitae sat dura exstitit.

In noviciatu Eggenburgensi Magistro usus est R. P. Janauschek, in odore sanctitatis nuper defuncto. A quo cum animum valde aversum sentiret, quodam die ad eum accessit, ut difficultatem sincere exponeret. P. Magister vero tironem consolatus hortabatur, ut id negligeret. Die 2 Aug. 1900 Fr. Mezírka vota religiosa professus est. Tunc Leobium perrexit, studia gymnasialia absoluturus, quibus examine maturitatis in publico gymnasio in Wiener Neustadt 26 Iun. 1902 feliciter peracto finem imposuit. Interea Provinciâ Austriacâ divisâ Provincia Pragensis fundata erat. Huic Provinciae Fr. Mezírka, cum Čechicae nationis esset, adscriptus est. Ideo ad studia theologica incipienda in Obořiště, domum studiorum novae Provinciae, proficiscendum erat. In studentatu Fr. Mezírka senior et caput primi gregis studentium novae Provinciae fuit, et quidem non solum professione, sed etiam animo suo excellenti. In philosophicis et

theologicis disciplinis eminenter profecit, id quod fructus tam diligentiae quam ingenii erat. Saepe narrabat Lectores suos severissimos fuisse. Tribus annis theologiae expletis Fr. Mezírka cum suo collega, prima Provinciae suboles, 24 Sept. 1905 sacerdotio initiatus est. Porro sequentem annum theologiae sine turbatione absolverunt. Quinto autem theologiae anno, cum P. Mezírka locum aegroti philosophiae Lectoris suppleret, privatim iis studiis erat incumbendum.

A. 1907 P. Mezírka in iuvenatum, ubi iuvenistas institueret atque Socii munere fungeretur, a P. Provinciali missus est. Quidam Pater, qui tunc iuvenista erat, memoria retinet, quanta cum modestia P. Socius oculis demissis per circuitiones ambulaverit. Autumno in pratis cum iuvenistis exercitia instar exercitiorum militarium agebat non solum inspicendo, sed simul cum iis cursitando, actionem qua tribunus militum dirigendo. Et libentissime iuvenistis de studentatu Obořištěnsi narrabat.

In studentatum anno elapso iussu P. Provincialis revertit ad maiora vocatus; nam vicesimum septimum annum aetatis agens studentibus praefectus est (1908–1912). Qua Praefectus nihil antiquius habebat, quam ut studentes Cor Sacratissimum venerarentur. Eo fautore et adiutore «Liga Sacratissimi Cordis» in studentatu fundata est. In recreationibus vespertinis ex «Anno Eucharistico» Cardinalis Vives y Tuto partem congruam legi iubebat. Et cum a. 1910 festo Corporis Christi Cordi Sacratissimo studentatum consecrasset, functione finita cuidam: «Contentus sum» inquit; «id habui in votis. Cor Eucharisticum vobis omnibus iam providebit». Alius alumnus conferentias P. Praefecti a studentibus revera expectatas fuisse refert eiusque considerationes studentibus in exercitiis habitas plenas divinae sapientiae nec nimis longas. Cum ordinandi ad ordines sacros suscipiendos parabantur, P. Praefectus pro iis coram Tabernaculo adorationes peculiare agere solebat. Studentium valetudini veram sollicitudinem impendebat; ideo, quodam studente phtisi pulmonum affecto, cum ad eius aures pervenisset, id



Praefecto culpae tribui, magnum sensit maerorem. Motus corporis causa etiam cum studentibus illa exercitia exercitiis militaribus aliquo modo similia ruri agebat.

A suo in munere Praefecti decessore munus quoque Lectoris theologiae dogmaticae accepit fuitque praeceptor religiosus, acer, clarus, quem discipuli admirabantur. Etiam hac in re vir fidei, initio anni scholaris hoc fere modo quondam discipulos allocutus est: « Si dogmaticam intelligere et aliquid discere cupitis, mementote illius beatitudinis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Sine conscientia pura bene non intelligetis ». Et cum alumnus quidam dubium nimis subtile de SS. Eucharistia proposuisset, hanc solam solutionem audivit: « Credo ».

A. 1912 P. Praefectus Mezírka, triginta unum annum nondum natus, Rector domus studiorum Obořištěnsis constitutus est (1912-1918). Maiori, qua tunc pollebat, auctoritate usus est, ut efficacius studentium necessitatibus provideret. Ita v. gr. usque ad initium belli omnes studentes quotidie refectiunculam pomeridianam accipiebant. Porro auctoritatem Praefecti maxima cum diligentia tuitus est neque unquam, ut narrat Pater, qui tunc Praefecti munus sustinebat, in rebus studentatus aliter ac Praefectus mandavit; ideo quidam e studentibus murmuraverunt P. Rectorem et P. Praefectum inter se convenisse. Attamen studentem afflictum consolari neque ut Rector recusavit. Etiam hunc laborem in se suscepit, ut domus a solvendo quodam tributo perpetuo liberaretur. Luculentissime vero P. Rectoris amor et sollicitudo, sapientia et prudentia effulserunt, cum a. 1914 immane bellum exortum esset. Mandatis variis a magistratibus civilibus editis, quibus emptio victualium difficilis reddebatur, P. Rector praefecto districtus palam dixit se nequaquam admittere posse, ut iuvenes rebus necessariis carerent, atque Fratrem quodam laico adiuvante non sine incommodo neque sine periculo providebat, ut necessaria praesto essent. Et Fratri quodam die referenti copiam communitati sufficientem comparatam esse pulchre: « Nobis », inquit, « sufficit, sed num etiam pauperibus? » Retributio pro hac insigni caritate fuit gravis crux. Attamen de hac re taceat necrologus.

A. 1918 P. Rector Mezírka, triginta septem annos natus, Provincialis factus est (1918-1930), tempore difficillimo exeuntis belli et nascentis novae rerum conditionis. P. Provincialis, cum primis hebdomadibus recentis reipublicae religiosus periculum immineret, Superiores iussit subditis vestem saecularem comparare et prospicere, ubi tempore primi periculi subditos abscondere possent. Deo gratias, res politicae fortitudine populi catholici eiusque ducum in melius mutatae sunt, ita ut P. Provincialis sequentibus annis Provinciam etiam non parum dilataret. Negotium delicatum, coniunctio nempe collegii Budvicensis cum Provincia Pragensi, quod ad id tempus ad Provinciam Vindobonensem pertinebat, anno 1921

exactum est. In hoc collegio novitiatus sequenti anno e domo Bilscensi deserta collocatus. Eodem anno 1921 domus Stropkoviensis, prima domus Congregationis in Slovachia, fundata. A. 1922 altera domus inter Slovacos, Podolinecensis scilicet, incepta. Simul P. Provincialis operi arduo acquirendi apti iuvenatus sese accinxit. Itaque a. 1922–1924 magna pars iuvenistarum in sanatorio Hlučini conducto morati sunt, reliquis in iuvenatu antiquo Cěrvencae manentibus. Anno autem 1924 P. Provincialis castellum principis de Schwarzenberg Libějovice emere ausus est, ubi omnes iuvenistae congregarentur. A. 1923 domus Kostolnensis, tertia in Slovachia, fundata. A. 1925 aliud negotium erat solvendum, cum domus Vice-Provinciae Zwittaviensis cum Provincia Pragensi coniungerentur. A. 1927 Provincia Moravo-Ostravae, in civitate carbonum, pedem fixit. Huius foundationis causa P. Provincialis multam noctem agebat insomnem. Eodem anno, collegio Podolinecensi deserto, domus Strážensis situ commodior in eadem dioecesi inaugurata. Ultimo anno provincialatus defuncti Congregatio in civitate Veteroboleslaviensi, per patriam nostram celeberrima, laborare coeperat. Nomen demum honorificum « Provincialis unionistae » Patri Mezírka merito adiudicatur. Anno nempe 1919 duos Patres in Poloniam miserat, ut ritu Graecoslavico suscepto laborum Patrum Belgarum inter Ruthenos participes fierent. Post duos annos hi Patres ad domum Stropkoviensem supra nominatam perrexerunt, ut Ruthenis in republica nostra habitantibus operam missionalem impenderent. Hoc modo domus Stropkoviensis Latinis simul et Graecis tectum praebat. Attamen P. Provincialis studio ferebatur, ut hi primipili propriam sedem haberent. Quod votum cum munus suum depositurus iamiam impleri vidisset, morti proximus qua Consultor Provincialis benedictioni collegii Graecoslavici Michalovicensis adstitit. Munus Provincialis aggrediens septem domos gubernandas acceperat, a munere recedens successori duodecim domos, domibus Germanicis non computatis, tradidit. A. 1928 munere Visitatoris extraordinarii Provinciae Polonicae functus est.

Aliquot testimonia, quomodo P. Provincialis Mezírka munus difficile gesserit, colligenda esse videntur. « Eum illud *fortiter et suaviter* optime coniungentem vidi ». — « Postulatus, ut concederet, quae ipsi accurate cum Regula congruere non viderentur, breviter respondebat: ‘ Non est mos ’, neque amplius de hac re loquebatur ». « Primis annis provincialatus admodum benigne et paterne subditos excipiebat, consolari et adiuvere vere sciebat. Annis ultimis observavi eum iam ultra vires laborasse, facile irritari, subinde rigidiores esse. Onus amplius ferre non potuit ». Animo iucundo congregatus quidam recordatur, quantopere P. Mezírka iuvenistas dilexerit, quanto cum ardore de sacerdotio et imprimis de apostolatu missionum cum ipso iuvenista disseruerit. « Eius verba ut ros animam meam rigarunt ». — Ex commentariis de conferentiis Lectorum stu-



dentatus scriptis apparet, quantam curam studentibus contulerit, normas paedagogicas Lectoribus tradendo. Legem non impropere res novas inducendi sequebatur: « Nondum est maturum ». Scientiae causa Lectori etiam longum iter permisit, sed quondam ad vota a Lectoribus proposita: « Res sunt », inquit, « Provinciali fortissimo fortiores ». — Patribus ad diem onomasticum gratulari solebat, saltem per chartulam postalem. « Cum Superiore vivide sentiebat, cogitans quomodo ei succurreret; ideo curis plurimis confectus est ». Ultimo vitae suae anno cuidam Superiori scripsit: « Precari et in Dei providentia confidere. Haec ascensis minime commoda est, quia curam operamque hominis non tollit; tollit vero inquietudinem et actionem tumultuariam. Expectare sicut Deus aeternus et Roma aeterna expectant. Cum lacrimis semina mittere et sibi persuadere alios esse venturos atque cum exultatione portaturos manipulos suos ». — « Prudentia ceterarum virtutum ipsius revera regina erat », scribit Msg. Arata; olim a secretis Apostolicae Nuntiaturae Pragensis. Defunctus autem ipse Praefecto studentium significavit se potius intuitionem quam deliberationem sequi; cum casum aliquem nimiae trutiniae subiecisset, rem malum habuisse exitum.

E donis naturae et gratiae deplorati Patris non solum confratres et subditi, sed alii quoque hauserunt. Qui defunctum cognoverunt, optime sciunt, quam humaniter extraneos et clericos et laicos tractaverit. Itaque plurimos fautores, immo cultores atque amicos sinceros, etiam inter praelatos ecclesiasticos, et laicos intelligentes, numerabat. Intelligentia defuncti atque animus non angustus, sed latus hominibus academice cultis admirationem iniecerunt. — In nostra ecclesia ad S. Caietanum Praegae per aliquod tempus congregationem Marianam matronarum rexit; quod tempus una sodali teste « aurea congregationis aetas » erat. — Animae piae ad eius sacrum tribunal accedentes expertae sunt fructum spirituales haud communem. Demum etiam Sororibus religiosis dona animi sui distribuit.

Missionis ne unius quidem particeps fuit, quod ipse in Superiore Provinciali defectum reputabat. Iam Obořištii commorans aliquot cursus exercitiorum diversis locis tradidit. Provincialis ad S. Caietanum quater conditiones quadragesimales praedicavit, « ut — sicut a. 1920 scribebat — missionarii ad missiones, quarum multitudini vix pares sunt, exire possint ». Exercitiorum cursus extra S. Caietanum duodeviginti habuit. Summa omnium contionum et sermonum tempore provincialatus circiter 509.

Rev. Pater 30 Apr. 1930 gravissimo onere liberatus, 3 Maii ad collegium Obořištense advectus est, ut post duodecim annos ad scientiam sacram docendam reverteretur. Tunc caritas eius fraterna cum illo risu placido nova luce effulsit, atque iuvenes studiosi, quibus ad id tempus solum ut Superior Provincialis notus erat, cum admiratione magna animis suis exempla eius humilitatis, benignitatis, spiritus orationis inscribe-

bant et cum ardore praelectiones eius apologeticas, claras et acutas, audiebant.

Etiam in vinea Domini hoc ultimo vitae suae anno multum laboravit. In Sacro Monte contiones quadragésimales, Moravo-Ostravae per dimidium mensem contiones Maias, Pragae ad Sorores S. Car. Borr., Vetero-boleslaviae ad sodales Marianas exercitia habuit, ita ut illo anno circiter octoginta sermones pronuntiaret. Intenderat autem futuro tempore curam quam maximam scholae tribuere. Sed Dominus dixit: « Iam sufficit »!

P. Mezírka ab annis studentatus numquam vel fere numquam plena fruitus erat valetudine. A. 1921 ex capitulo generali redux morbo gravi correptus est, sed mortis periculum evasit. Mense Maio 1931, ni fallimur, incommodam valetudinem sentire coeperat. Attamen mense demum Augusto Pragae auxilium medici quaesivit. Mense Septembri in Slovachiam ad domum Patrum uniatarum benedicendam profectus est. Quod ultimum vitae eius terrestres magnum gaudium fuit. Iter vero e Slovachia in Bohemiam ad Thermas Carolinas, ubi sanitatem recuperaret, martyrium evasit. Et spes medici Thermis Carolinis fefellit. Ibi etiam Missam, cuius celebratione decursu vitae suae non unum aedificaverat, ultimam celebravit. Die 7 Oct. Pragam ad Sorores S. Caroli Borr. transportatur, ubi medici clare malum horribile, carcinoma videlicet, invenerunt. Die 10 Oct. P. Provincialis Provinciae annuntiat iudicio medicorum P. Consultori Mezírka non amplius quam quattuordecim dies vitae superesse. Die 14 Oct. infirmo sacramentis provisum est. Exinde confrater carissimus magnam animi quietem et in voluntatem Dei subiectionem patefecit, id quod in hora tristitiae nos omnes tantopere aedificavit et consolatum est. Sane, Deo confidere alios docuerat, cum fiducia ad Deum ivit. Sorori sabbato 24 Oct.: « Omnino », inquit, « non timeo ». Festo Christi Regis, audiebatur clara voce ita meditari: « Iesu Christe Rex, regna in me; volo, ut in me toto regnes. Tuus esse volo, tuus in aeternum, tuus in aeternum. Tuus sum vivens et moriens. Iesu, ego amo te. Ego amote absque limite. In aeternum te amare volo. Ex amore tui mortem suscipio pro nostra Congregatione, pro nostra Provincia ». Post meridiem moribundus, a P. Provinciali rogatus, ipsi totique Provinciae benedixit. Post discessum P. Provincialis obdormivit neque amplius expergefactus est; nocte, circa secundam horam 26 Oct., quiete animam exspiravit.

Die 29 Oct. Rm̄us D. Dr. Zavoral, O. S. Norb. Abbas Strahoviensis, defuncti amicus intimus, Missa pontificali de « Requiem » celebrata ritu Ecclesiae Latinae exsequias fecit. Tum Superior Patrum ritus Graecoslavici Provinciae nostrae cum duobus sacerdotibus super corpus fautoris et benefactoris sui « panichidam » cecinit. Apostolici Nuntii delegatus funeri comitatum dedit. In coemeterio Rector Ostraviensis, unus ex Consultoribus P. Mezírka Provincialis, nomine omnium defuncto valedicens veraciter

dixit: « Gratias accipe pro unoquoque verbo, facto, pro unaquaque absolute, immo et pro tuo risu, qui semper animae consolationem afferebat ».  
— Have, anima pia!

Ex litteris condolentibus denuo eluxit, qualis vir defunctus fuisset. Msg. Dr. Šrámek, reipublicae administer, scripsit: « Cura eius religiosa de anima nationis in tota republica litteris aureis in libro Vitae consignata est. Hanc eius operam grato animo e longinquo observavi ». Et Exm̃us Dr. Kašpar, Archiepiscopus Pragensis: « Dominus huic filio suo fideli coronam paravit praeclaram in aeternitate, ubi optimum filium spiritua-lem cum gaudio salutavit magnus ille S. Alfonsus ». — R. I. P.

---